

fari libet, propositurus sum. Quod saepius solet accidere, Auctoris vt autographum, vel totum, vel quod ad partem pereat, compendii huius id quoque voluisse fatum, eo minus mirandum est, quo facilius plagularum eius, amanuensibus, vt in calamum auditorum dicent praecepta, per multorum annorum seriem traditarum, iactura fieri potuerit. Hi scilicet, tum ipsi eas interdum retinent, tum describendas cum commilitonibus communicant; adeoque vel auctori ipsi imponunt necessitatem, vt ab his descripta exemplaria vsui ipsius futuro tempore inseruire debeant. Quod etiam b. AVCTORI accidisse ipse ego sum testis factus, quum et meo, quod calamo ipse exceperam, exemplari, in moralibus suis praelectionibus, per aliquod tempus vsus fuerit. Cuius exemplaris, manu eius propria hinc inde amplificati, ex quo praelectiones hoc in compendium institueram, compos iterum factus, complurium aliorum exemplarium copiam mihi

a 3

postea